Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

aspectus angelicus. veneranda
canicies. sermo verus et sapiens
sale conditus. Dicit ei Tybur-
tius. Tu illum Urbanum dicis quem
papam suum christiani nominant?
Hunc ego audio iam secundo dam-
natum. et iterum pro ipsa re qua dam-
natus latebras suas fovendo
predicare. Iste si inventus fuerit.
sine dubio atrocibus dabitur
flammis. et ut dici solet ceteris.
et nos simul cum illo cremabi-
mur. si apud illum fuerimus
inventi. et dum querimus
divinitatem in celis latentem.
incurrimus furorem exurentem
in terris. Dicit ei Cecilia. Si ista
una esset vita et non esset alia.
iuste istam perdere timeremus. Cum autem
alia sit vita satis ab ista melior.
que numquam finiri potest. ut quid istam
perdere timeamus. quando per hanc perditam
ad illius inquisitionem attingimus?
Respondit Tyburtius. Adhuc hoc num-
quam audivi. Ergo est alia vita
preter istam? Dicit ei Cecilia.
Et hoc quod in isto mundo vivitur
vita esse credenda est. quam hu-
mores tumidant. dolores exte-
nuant. ardores exsiccant. ae-
res morbidant. esca inflat.
ieiunium macerat. ioci solvunt.
tristicia consumit. sollicitudo
coartat. securitas hebetat. di-
vicie iactant. paupertas deicit.
iuventus extollit. senectus incur-
vat. infirmitas frangit. me-
ror consumit. Et in his omnibus
mors furibunda succedit. et ita
universis gaudiis carnalibus finem
imponit. ut cum esse desierint.
nec fuisse putentur. Pro nichilo
enim computatur iam omne quod non
est. Illa vita que isti vite succe-
dit. aut perpetuis tribulacionibus
dabitur iniustis. aut eternis gau-
diis offeretur iustis. Respondit Ty-
burtius. Quis ibi fuit. et inde
huc veniens nobis hoc potuit
indicare. ut merito possimus ista
nunc nobis asserentibus credere.
Tunc beata Cecilia erigens se ste-
tit. et cum magna constancia dixit.
Deus celi terreque maris et hominum.
ac volucrum serpencium pecudumque
creator. ex ipso antequam ista face-
ret genuit filium. et protulit ex
virtute sua spiritum sanctum. filium ut
crearet omnia. spiritum sanctum ut vivifi-
caret universa. Omnia autem que
facta sunt filius ex patre genitus
condidit. universa autem que
condita sunt a patre procedens spiritus
sanctus animavit. Dicit ei Tybur-
tius. Certe unum deum in celis cre-
dendum esse asseris. quomodo nunc
tres esse testaris? Respondit Ceci-
lia. Unus deus est in maiestate sua.
quem ita in trinitate scimus dividi-
mus. ut in uno homine dicimus
esse sapientiam unam. quam sapientiam
dicimus habere ingenium. memo-
riam et intellectum. Nam inge-
nio invenimus quod non didicimus.
memoria tenemus quod docemur.
intellectu advertimus quicquid vel
videre vel audire nobis contigerit.
Quid modo faciemus? Numquid non
ista tria unam sapientiam trinum in uno
homine possidet nomen? Quomodo